DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DELIRIO TREMENTI.

AUCTORE JOANNE KING.

Omnibus ex morbis quibus genus humanum est obnoxium, illi qui mentem invadunt Medici misericordiam vel in primis jure sibi vindicant; quid enim tristius videri potest, quam ruinam ejus, unde homo cæteris animalibus præstat, unde etiam derivantur omnia quæ vitam possunt reddere beatam. Talibus in morbis curandis, medico maxima est copia præstandi artem, atque benevolentiam. Hic ille fiet benignus amicus; atque solertia, quum forte parum successerit, nunquam tamen statuetur non maximam laudem meruisse.

Delirium Tremens, de quo morbo in hac dissertatione agetur, quamvis adhuc non locum tenuit in re nosologica, minime tamen est negligendum, quippe morbus qui et vehementer nervos tentet, atque sæpe ad exitum fatalem properet.

Antiquis Viris hic morbus parum videtur notus. Quod autem inter eos extitisset, non est dubitandum, etiamsi adeo rarus, ut cum ortus esset eodem nomine cum Phrenitide, Mania aliusve hujusce generis poneretur.

Recentioribus autem Medicis, quæ de hoc morbo sunt explorata, referre debemus. Hunc ab aliis disjunxerunt, nomenque huic imposuerunt, adducti scilicet re jam crebrescenti magis. Ex quibusdam auctoribus quidem intelligimus, hodie pervulgatum esse, præsertim in oppidis maritimis. Anno post Christum natum MDCCCI, Doctor BURTON PEARSON, Anglus, ex oppido Novi Castelli, opusculum edidit, in quo signa et curationem hujus morbi accurate exponit. Hoc iterum edidit scriptum anno MDCCCXIII. Hoc opusculum tantum valuit, ut medicorum converteret animum in morbum haud aspernandum, de quo adhuc

prope nihil quidem certe fuerat cognitum. Deinde provenit, anno MDCCCXII, dissertatio a Doctore ARMSTRONG, cum hoc titulo, "An Account "of the Brain Fever of Drunkenness." Hunc autem sequenti anno excepit libellus a Doctore SUTTON de Delirio Trementi, unde morbus hoc nomen adeptus est. In opere nuper edito a Doctore ARMSTRONG de Typho, fusius quam antea de hoc morbo disseruit: hæret tamen priori nomini, respuens illud SUTTONIANUM, quia non semper adest tremor. Anno MDCCCXXIII, Doctor ANDREAS BLAKE, ex Insula Sancti Vincentii, opusculum de hoc morbo edidit, cum titulo, "De-"lirium Ebriositatis."

In paginis sequentibus nobis in animo est, symptomatum historiam reddere, causas indagare, diagnosin et prognosin exponere, quæ post mortem in sectione corporis apparent notare, atque rationes diversas medendi proferre.

DE SIGNORUM HISTORIA.

Hujus mali impetus sunt diversi, nunc lenti, nunc celeres, semper autem post ebrietatem fiunt. Sæpius per aliquot dies ante accessionem, æger tantum queritur quod minus potest solitum agere negotium. Quum accesserit, pulsus arteriarum fiunt languidi, manus et pedes frigent, et plerumque suffusi sunt viscido ac gelido humore, et vires ægri sunt admodum fractæ, diminuti calor, rigor musculorum in extremis corporis partibus, una cum nausea et vomitu, atque tremoribus, et manibus et linguæ, quæ est humida, sed raro aspera. His accedunt dejectio animi, vultus solicitus, oppressa præcordia, frequens suspirium, somnus tumultuosus, cum subsultu atque somniis horrificis. Grassante malo, æger feritatem in vultu ostendit; fit irriquietus; quærentibus, responsum admodum cito dat, et statim vult agere, aut etiam antevertere qua in re putaverit jussuros.

Morbo usque ingravescente, irritatio nervorum patet, vehemens quam mentis alienatio sequitur

multiplex et varia : pulsus arteriarum acutior fit, quamvis exiguus manet, et calor summo in corpore augetur : per totum morbum, tamen, notabilis differentia est inter calorem manuum et pedum, et ipsius corporis ; primis, ut supra dixi, gelidum istum et viscosum sudorem habentibus, dum superficies corporis potest fieri calida et sicca. Si hic status corporis non levatur, sudor viscidus profuse de superficie effluit. Cum quadam alienatione mentis comitatus, æger persæpe ac violenter luctatur ; crebrescit pulsus arteriarum ; tremores manuum in totum corpus fertur, atque in subsultum tendinum vergit ; pupillæ valde contrahuntur, vultus pallidus et solicitus, lingua sordida et arida, mentis alienatio augetur, et horridæ imagines ante oculos versantur. Suas plerumque credit res penitus eversas, aut quosdam in perniciem suam consensisse, atque se aliquo in loco alieno cohiberi. Hoc animo, summis cum viribus, ab illis circumstantibus evadere conatur, si coërceant. Hæc conamina ut strenua, ita vacua sunt ab omni odio aut malignitate in cohibentes. Videtur statim oblivisci præterita ; mox autem

denuo excitatur illis vanis imaginibus quæ menti conturbatæ usque subjiciuntur. Imaginatio adeo dominatur, ut credat se videre horrendas formas, atque implorat auxilium ut arceat. Hæc modo videntur esse pediculi super lecto aut in stragulis repentes. Interdum putat se audire in cubiculo insolitas voces, et colloquitur invicem auscultans et respondens, perinde quasi plures adsint. Ægri sæpe adeo sunt occupati in ædificando, in rationibus faciendis, consiliis, numerandis pecuniis, aliisque hujusce generis, ut si alloquaris, aut prorsus sint inscii, aut acerbe respondeant se nolle interpellari. Ubi negotiis non sunt intenti, penitus occupati sunt cum conjurationibus et periculis quae sibi impendere videntur. Secundum animi mutationes miræ variationes vultus quoque notantur; opinionem pertinaciter defendunt, præsertim si aspere adverseris, atque tunc propensiores sunt ad iram. Tamen, si blande interroges, nonnunquam recte ac suaviter respondent; plura autem haudquaquam sunt continuo, ab his quærenda ne perturbentur, ac in pristinam inconsequentiam delabantur. Si familiares viderint, nomina eorum

persæpe obliviscuntur, quum homines ipsos teneant. Quorum in alios acerrime increpant, simul tutelam et amicitiam poscentes aliorum.

Quod ad morbi spatium attinet, fere tres, quatuor, quinque, aut etiam duodecim dies continuatur; exempla tamen non desunt, in quibus ad hebdomadas quatuor usque, aut sex protrahitur. In his, morbus habetur chronicus. Quibus autem malum longum urget fere in hebdomada tertia, quartave, faustus vel lethalis exitus fiet. In quibus morbus levior, hebdomadas usque sex aut plures durabit, sed in his mentis alienatio fere longior existit; et pluribus in exemplis, hæc per totam vitam extenditur.

Eventum faustum sæpissime somnus quietus antecedit. Sed si delirium raro intermissum, vigilia, sudor profluens, atque talia signa, cum singultu, oculorum distortione patent. Cutis frigida et viscosa, et subsultus tendinum sequuntur; convulsiones, denique, aut coma superveniunt, et mortis adventum ostendunt.

CAUSÆ.

Quod in primis obnoxium facit Delirio Trementi, ut constat inter omnes Auctores qui de hoc scripserunt, est usus immodicus liquorum, qui spirituosi dicuntur. Hic morbus fere invadit quum post crebriores potus meracioresque hi repente fuerint remissi, aut omnino relicti, et videtur nasci ex inopia soliti irritamenti. Quum vires corporis ab incitamentis aliquamdiu sustentatæ fuerint; si hæc confestim auferamus, aut etiam diminuamus, hoc cordis vim et arteriarum adeo debilitabit, ut non ex æquo sanguis dispertitus sit. Venarum congestio fiet, quæ vim naturalem opprimet, vel excitabit, prout conditio hujus in præsens fuerit. In Ebriosis autem, ista equilibrii jactura semper evenire videtur, neque unquam videre est durante morbo sanguinem æqualiter dispertiri. Sunt qui in hoc malum adeo proni incidunt, ut ad hoc minime opus sit magna intemperantia. Isti hoc modo afficiuntur, etiamsi haudquaquam

excesserint quod a plerisque nostratibus, et his temporibus æquum censeatur.

Non desunt tamen aliæ hujus morbi causæ. Interdum fit ut homines, præsertim nervosæ fœminæ, se assuefaciant iis quæ valetudinem paulatim et tacite subruant. Doctor SUTTON nobilem vidit fœminam, quæ per immodicos haustus Tincturæ Lavandulæ hunc morbum contraxerat. Doctor ARMSTRONG autem arcessitus fuit ad ægram quæ hoc delirio laborabat, quod illam invaserat nimio ac diuturno usu opii. Quodcunque vero corpus infirmat, proclivius quoque reddit huic malo, ut fatigatio, nimia indulgentia qualibet in re, qua febres excitentur: inæquales etiam animi affectus, nunc hilares, nunc tristes, universa denique incitamenta, ut opium, belladonna, &c. eodem pertinent. Doctor SUTTON refert se vidisse hunc morbum supervenientem acutis artuum doloribus, Febri Rubræ, atque Typho.

DE RATIONE DIGNOSCENDI.

DELIRIUM Tremens a Mania, cui est simillima, ita dignoscitur. In utrisque morbis adest aliena-

tio mentis; in hoc autem alienatio primum, in illo secundum obtinuit locum. In Mania cogitationes sunt disjunctæ, atque minus exactæ, et insanientes huic minime possunt succurrere; si interrogantur, manent aut morosi ac taciti, aut mussitantes, aut prorsus ab re atque incohærentia respondent. In Delirio Trementi, e contrario, æger, si blande alloquaris, præsertim incipiente morbo, in rem atque suaviter respondebit; coërcitione tamen malum semper augetur. Imagines quæ menti occurrunt plerumque sunt tristiores ac magis horrificæ quam quæ insanienti offeruntur, quamvis in hoc, multo facilius dissipantur. In his etiam qui Delirio Trementi laborant, mens fere est penitus occupata de re familiari, quam credunt omnino eversam.

In morbi incrementis, summis enituntur viribus ut illuc proficiscantur quo putant res suas versari; non tamen quales insanientes fallaciis aut dolis utuntur, causa obtinendi quæ voluerint, neque maligni sunt, aut ira commoti, si impediantur, etiamsi si pertinaciter atque obstinatis animis in hanc rem elaboraverint. Quæ ipsis acciderint, statim

obliviscuntur, neque ullo modo phantasmata quæ in impetu mali oblatæ fuerint, in memoriam revocare possunt.

Delirium Tremens porro, a Mania, propriis quasi tremoribus distinguitur; subsultu tendinum, inquiete continua et indomita, sudoribus profluentibus ac viscidis, in ipsis morbi incrementis: his etiam accedentibus sub vesperam, atque sub lucem decedentibus; quum in his qui insaniunt, contraria obtinent. Neque inficiandum est tremores, quæ huic proprii perhibentur, interdum deesse; tum autem nobis observandum erit, alia signa quæ huic certe occurrunt, horridas nempe imagines, usque ante oculos volitantes, atque mentem ægri turbantes, solicitum animum, sudores, continuam vigiliam atque agitationem, pulsum arteriarum frequentem et imbecillum; denique, de progressu ac historia ipsius mali præsentis, si qua hoc possimus, ad discernendum, utilissimum erit cognoscere.

Delirium Tremens a Febre Continua cum mentis abalienatione discernitur, carendo hujus calore febriculoso, atque lingua sicca; et quum pulsus arteriarum sint accelerati in utroque morbo, al-

terius tamen pulsus celeres, obscuri et tremuli, ab hujus pulsu celeri sed manifesto ac valido facile distinguitur; neque minus ad dignoscendum adjuvant ista vigilia, sudores, agitatio, tremores, aliaque signa jam dicta.

Hunc morbum a Phrenitide etiam, quæ in hac regione ac tractu rara est, discernere possumus, per febrem ardentem, acutum capitis dolorem sive cephalalgiam, arteriarum pulsus vehementes, faciem rubentem, lucis atque soni intolerantiam, oculos suffusos et rubescentes, furorem, coma. In Delirio Trementi autem, hæc signa aut ostenduntur mitia aut omnino desunt, atque in horum loco sunt pulsus arteriarum imbecilli et varii, solicitudo, tristitia, summa cutis mollis, tremores, subsultus tendinum.

Delirium Tremens, denique, a Typho, seu Febre Pestilente dignoscere est, quod non ortum ex contagio, quod calor summæ cutis major et constantior, quod delirium subito advenit, diutiusque manet, quod vires ab initio minus prostratæ sunt, quam quæ in Typho evenire solitæ.

DE PROGNOSI.

Præsagia hujus mali valde sunt incerta. Indicia mitiora habentur, si morbo incipiente, diuturna quies, si delirium est lenius, si tremores sedantur, si cutis ad solitam temperiem redit, si pulsus arteriarum tardantur, atque manifestiores fiunt; ideoque si hæc eveniunt, minus de malo vincendo desperandum. Accidit tamen nonnunquam, ut inter hæc atque alia signa plerumque salutaria, occurrant repentinæ distentiones nervorum, atque interimant. Ætas autem hominis, pristina valetudo, duratio, atque gravitas ipsius morbi, prout hæc fuerint secunda aut adversa, plus minusve spei afferent. Indicia quæ importuna perhibentur sunt pervigilium, pulsus arteriarum tenuis et celeris, superficies gelida et viscosa, vomitus creber, oculorum pupillæ plurimum contractæ, quod signum sæpe strabismus sequitur, subsultus tendinum, nervorum distentiones, vox tenuata et imbecilla, mentis alienatio continua, alvi dejectiones, quarum ipsi sunt inscii, et

coma. Ægri qui graviore aliquo luctu ad ebriositatem perducti fuerint, maxime periclitantur. Durante enim malo de recenti calamitate perpetuo insaniunt, quod dum vires animi irritat, ita etiam frangit, ut haud facile huic mederi possis. Hæc erunt satis funesta in his qui intemperantiæ penitus dediti fuerint, et qui antea laboraverint, ut sæpe fit chronica hepatiti, aut affectu aliquo istiusmodi organico.

DE SECTIONE CORPORIS.

Corpora eorum hoc morbo laborantium, quæ post mortem incisa fuerunt, sunt perpauca, ideoque non magna est copia de hac re disserenda. Exemplum a Doctore Stark enarratur, quod ille febrem appellat, quod autem revera Delirium Tremens fuisse videtur. Hominem peremit nono die; capite autem inciso, serosi humores inventi sunt effusi inter membranam cerebri et occipitium. Duobus in corporibus quæ a Doctore Armstrong secta fuerant, levis comperta est congestio sangui-

feris in vasis cerebri atque jecinoris, alia omnia autem sana. Doctor Sutton sectionem refert, qua sanguinis effusio atque congestio in cerebro patebant. Alia sectio corporis a Doctore Blake traditur, ubi ostendebantur in cerebro vestigia obscura inflammationis; omnes ventriculi, præcipue laterales, multum serosi humoris habebant. Choroideus plexus nulla turgescentia præbebat; quæ thoraci atque alvo inerant, omnia convenientia. De Causa Continenti adhuc certant medici. Doctor Blake asseruit hanc a sero effuso, Dr Armstrong autem a venosa congestione, profectam.

DE CURATIONE.

Curatio multiplex et varia hoc in morbo proponitur, qua occurrendum erit signis eminentibus, præcipue autem ad levanda vasa cumulata, ad efficiendam quietem ac somnum, ad sustentendas vires corporis. De his igitur remediis nunc fusius dicendum, nullo certo quidem ordine, quo-

niam in tali re, de ordinis ratione supervacaneum est disserere.

Missio sanguinis.—Hæc quamvis sæpe profuit, sæpissime tamen nocebit; adeo haudquaquam est temere adhibenda. Indicabitur præcipue in juventa, in habitu corporis pleno, in pulsibus arteriarum vehementibus, ubi vires corporis ægri non fractæ nimiuscule ac diutius sibi indulgendo potus ardentes et vinolentes. Ad hanc porro primis tantum morbi temporibus confugiendum. "For "a long time," inquit Doctor ARMSTRONG, "I "firmly believed that depletion was always dan-"gerous in this disease; but as I had imbibed "this prejudice from having witnessed its failure "and injurious effects in the advanced stages, so "it has been removed by my having since seen it "beneficial in the beginning of numerous cases." In senectute autem atque in ebriosis, pessime huic remedio creditur; neque in his, ullo in tempore morbi proderit. Detractionem sanguinis auxiliare tantum, neque solum remedium unquam habere oportet. "When bloodletting," inquit Doctor SUTTON, "has been employed, and principally re-

"lied on, I have observed a fatal termination in "almost every case, though the indication as to "habit for its use appeared strong and decisive." Sanguinem detrahere, affixis hirudinibus, vel cucurbitulis temporibus, quam incisa vena, utilius erit.

Vesicatoria.—In vesicatoriis adhibendis, non sine maxima cura, ut in re minime certa, ingrediendum; periculum est enim ne in hoc morbo augeant vigiliam et febrem, atque ita vim ægri celerrime conficiant.

Purgantia.—Multi hic dejectiones summis laudibus efferunt; nec desunt medici qui his ut soli remedio fidunt. Quæ a Doctore Armstrong quidem feruntur, non ab hac opinione sunt prorsus aliena. "There are few cases," inquit, "I am "fully persuaded, in which they should be omit-"ted at the commencement." Ventriculum intestinaque detergendo leniunt communem irritationem; præterea viam parant opio, aliis validis medicamentis, quæ nunquam sunt adhibenda nisi quum alvi canalis fuerit plane purgatus. Plurimum prosunt, ubi ebrietas, minus frequens, non

ad ebriositatem processerit; ibique non modo incipiente morbo, sed ne quidem per gradus omnes sunt emittendæ. Doctor Blake Oleum Crotonis Tiglii felicissimo successu dedit, quum non modo alvum optime laxaret, sed nervos etiam admodum delinire videretur. Siquando autem vires sunt languidæ, pulsus arteriarum imbecilli, atque calor externo in corpore diminutus, tum exinanitiones omnino sunt effugiendæ.

Frigus.—Corpus aqua frigida perfudisse, secundum quosdam Medicos, qui hoc multum in hac re usi fuerant, magno est præsidio. Doctor Wood a Novo Castello hoc liberrime utebatur. Ægrotantes in frigidarium demisit, atque in capita frigidam sæpius effudit aquam, donec vehementes horrores inciderent, atque frigus vix tolerari posset. Hoc modo pulsus arteriarum tardati sunt, interdum ad tricenos in partes sexagesimas horæ, atque æger paulo post alto somno complexus, qui in horas triginta aut quadraginta duravit. "I "have known," inquit, "several deaths take place "under the plan of laudanum and wine, and have "never seen one death take place under the cool-

"ing plan." Hoc idem Doctor Armstrong expertus est utilissimum. "It is unquestionable," inquit, "that the cold-bath may be used in Delirium Tremens successfully, even when the skin "is covered with perspiration, and either when "cool or of an unsteady heat. In every instance in which I have seen the application used "in this disease, the condition of the pulse and "skin have been improved by it, and the general "irritation greatly relieved by it."

Hoc autem remedium, sicut missio sanguinis, debet adhiberi incipiente tantummodo malo, et ubi æger est juvenis atque pleno corpore. Quæ excitant dare oportet ore, nec minus ante quam post perfusionem, et corpus postea perfricandum. In quacunque re dubia Doctor Armstrong maluit perfusionem calidam.

Opium.—Quum hoc in malo princeps consilium sit curandi efficere ut æger sit quietus, atque somnum afferre, opium ad hanc rem ex medicamentis omnibus maxime adhibitum, atque huic summa fides habita est. Ut plenum habeat effectum, oportet dare crebro et largius. Rectius da-

tur tincturæ modo, cujus quinquagenæ aut sexagenæ guttæ alternis horis sumantur, donec quies aut somnus concilietur. Si autem pulvis opii magis placeat, oportebit dare quatuor grana altera vel tertia quaque hora, ad propositam finem consequendam. Doctor ARMSTRONG hac ratione medendi nititur. A missione sanguinis, ubi hæc convenit, orditur; inde ad dejectiones, ad perfusiones, denique ad opium decurrit. Ubi nequidem opium prodest, huic conjungit submuriatem hydrargyri, quam quidem conjunctionem his ipsis verbis laudavit: "Calomel and opium will sometimes "succeed under the most unpromising appear-"ances; and whenever there is ground for doubt-"ing the propriety of evacuations, these should "be administered in preference to every other ex-"pedient." Alia quædam soporifera, ut Hyoscyamus, Digitalis Purpurea, Humulus Lupulus, et Camphora, minus usitata. Ex his Camphora Doctori BLAKE arridet quidem; hanc adhibet ratione Camphoreticæ Mixturæ, et conjungit eam Ætheri atque Tincturæ Opii. Est denique alia quædam ad quam curationem nonnulli Medici confugiunt,

quamque magnopere etiam extollunt; utuntur Vino scilicet, aliisque rebus excitantibus, hisque ut soli remedio credunt. Doctor PEARSON, qui primus de hoc morbo scripsit, hac ratione usque ad tres nonagintaque ægros usus est, atque, si illi credamus, felicissimo eventu; addidit etiam, alimenta quæ maxime perhibentur generosa. Hæc tamen curatio ut periculosa potius vitanda, præsertim siquis adhuc juvenis pleno habitu corporis hoc morbo laboret. Cum hoc fiet, victus tenuis certe potior fuerit. Ista ratio PEARSONIANA quidem non locum habeat, nisi ubi vires prorsus defecerint, atque ubi ex liberiore usu irritamentorum, sanatio, si hæc penitus sublata fuerint, impediatur, dum nervi hominis vexantur, atque ipse fit irrequietus; paululum vini interdum igitur recte potest dari; sed nequidem in his cerevisiæ, Anglice Porter or Beer, minus forsan proderunt.

Quum ventriculum intestinaque ebriosorum sæpissime tentantur, amara etiam commendantur; nec parva est eorum virtus, si tempestive ac perite adhibeantur. Submurias quoque hydrargyri,

exiguis portionibus, causa inducendi internas mutationes adhibitus, sæpe valuit.

Hoc igitur in morbo atroci, atque, nisi auspicato etiam occurritur, rapido cursu in exitum fatalem interdum ducente, vidimus, exinanitionibus haud temere utendum, etiam ubi putentur convenire, neque omnino nisi in ipsis initiis morbi. Cuncta quidem illa remedia, ut feliciter eveniant, initio adhibenda. Talibus cum ægrotis leniter plane agendum est, quum nihil tam valet ad firmandos mentium errores, quam si inhumaniter aut acerbe redargueris, atque, si ullo modo potest, coercitiones sunt prorsus omittendæ. Optimum erit semper ut tantum libertatis, quantum res patitur, habeant. Diximus supra frigus præstare ad quietem conciliandam; neque hoc displicuisse Doctori Armstrong, ex suis patet verbis: "One "man," inquit, "was allowed to go nearly a mile "to look at the sea in a bleak evening; soon af-"ter he returned, he fell into a sound sleep, and "was convalescent next day. Another walked "about in a large apartment, when the weather "was cold, with nothing on but his shirt, for more

"than two hours; he afterwards went to bed of "his own accord, and passing a quiet night, from "that time recovered apace."

Jejunium quoque, sicut in Phrenitide, sanguinis cursum semper turbat. Opus erit igitur levibus cibis, suis quoque temporibus.

Hæc cum aliis remediis jam dictis communem turbatam temperiem lenire plerumque reperientur, nec spem vanam secundæ tandem valetudinis præbere. Omnes vero sic affecti coercitionibus utique perperam onerantur. "The application," ut rursus nitar auctoritate Doctoris ARMSTRONG, "of "the strait waistcoat, in particular, should be care-"fully avoided, since it is always a highly dange-"rous expedient."

Comiter ac benigne tractasse, atque assensisse potius illis aliena loquentibus, semper ad evincendos maxime profecerunt.

Hæc habui quæ de Delirio Trementi dicerem, non quod permulta nova sperare afferre, sed quo institutis moribusque hujus Celeberrimæ Academiæ libenter, ac pro parte virili parerem.

FINIS.